

quod Gorgoniæ fuerit conjux et vir : « Vultis, ait, uno verbo virum describam? vir illius, id est Gorgoniæ; nec enim scio quid amplius dicere necesse sit. » Idem dicit de S. Josepho. Aves scire quis, qualis, quantus fuerit S. Joseph? vir fuit Deipare.

Tertio, ministerium et officium Josephi fuit nobilissimum, quia attingit ordinem unionis hypostaticæ Verbi cum carne nostra, uti et maternitas B. Virginis. Joseph enim omnes suos labores et actiones proxime circa Christi personam exercebat. Hinc Christum aluit, fovit, custodivit, ac eum in arte fabrilis secum exercenda direxit, ut habet communis Doctorum sententia. Audi Franciscum Suarez, III part., *Quæst. XXIX, disputat. viii, sect. 1.* Quædam, ait, ministeria præcise pertinent ad ordinem gratiæ gratum factis, et in hoc supremum fastigium tenent Apostoli, ideoque indiguerunt pluribus auxiliis gratiæ, præsertim gratiæ datæ et sapientiæ quam ceteri. Alia vero sunt ministeria que attingunt ordinem unionis hypostaticæ, qui ex suo genere perfectior est, ut patet de maternitate Dei in B. Virgine. Et in hoc ordine est ministerium S. Josephi, quod proinde priorem excedit.

Quarto, Joseph per familiarem et continuam cum Christo et B. Virgine conversationem, factus est secretorum divinarum particeps et summam utriusque virtutum quotidianus inspector et imitator.

Quinto, Joseph fuit eximie sanctitatis, ac eximie nature et gratiæ dotibus a Deo instructus, adeoque illo seculo non fuit vir sanctior aut dignior, cui mater Dei desponsaretur. Unde Franciscus Suarez, III part., *Quæst. XXIX, disputat. viii, sect. 1.* probabiliter opinatur Josephum in gratia et gloria antecellere Apostolos et Joannem Baptistam, quia ejus officium illorum officio præcellat. Plus enim est esse patrem et rectorem Christi quam præconem et præcursores ejusdem. Additque Josephum, cum duxit B. Virginem, fuisse etate matura, non juvenili nec senili, eumque vita functum esse ante mortem Christi et B. Virginis. Unde in passione Christi nulla Josephi fit mentio. Denique eum post mortem cum Christo inter ceteros Patriarchas resurrexisset, de quibus dicitur *Matth. xxvii, 52*: « Multa corpora sanctorum, qui dormierant surrexerunt. » His omnibus ipse eminebat.

Porro nostri Barradius et Ribadeneira, in festo S. Josephi, eum eminentis sanctitatis fuisse, docet solideque probant: *Primo* ex ejus officio, quia ipse fuit pater Christi et sponsus B. Virginis; inter sponso, autem solet esse æqualitas, id est proportio, ut sit matrimonium congruum et commodum: ergo præ omnibus Joseph accessit ad sanctitatem B. Virginis. Unde Patres censent Josephum fuisse virginem, et sua virginitate quasi meruisse, ut fieret conjux Virginis Deipare. Audi S. Hieronymum, lib. *Contra Helvidium*; et Tu-

dicis Mariam virginem non permansisse; ego plus vindico, etiam Josephum virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali conjugio virgo filius nasceretur. » Et S. Augustinus, *serm. 24 in Nativitate Domini*: « Habe, ait, Joseph, cum Maria conjuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virginis membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria sponsa Christi in carne sua, virginitate servata: sis autem et tu pater Christi, cura castitatis et honorificentia virginitatis, ut de virginis membris Genitricis seculis christianis nulla sit zelotypia. » Idem et paulo post: « Gaude itaque, Joseph, nimiumque congaude virginitati Mariæ, qui solus moruisti virginealem affectum possidere conjugii, quia per meritum virginitatis ita separatus es a concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris. » Sic et ceteri. Unde B. Petrus Damianus, *epist. 11*, ait Ecclesiæ fidem in eo esse, ut non modo Deipara, sed et Joseph, ejus maritus et nutritus Christi, virgo habeatur.

Secundo, quia B. Virgo unica salutatione sanctificavit Joannem Baptistam, eumque quasi Christi præcursores et paranymphos consecravit: quantum ergo ipsa sanctitatis afflavit Josephum crebra salutatione, imo continua conversatione et alloquio tot annorum!

Tertio, quia Joseph quotidie videns et audiens Christum, divinaque ejus verba, gestus et spiritus hauriens, mire incendebatur ejus amore et reverentia. Ad hæc Christus nutritus a Josepho corporaliter, vicissim, imo multo magis nutritus eum spiritualiter, mentemque ejus spiritualibus epulis gratisque cumulabat.

Quarto, quia omnes Josephi actiones erant circa Verbum incarnatum, ideoque celestes et divinas: fuit ergo ipse Angelus potius quam homo. Quocirca B. Theresia mira devotione colebat S. Josephum, eundemque omnibus commendabat, assersens se per intercessionem S. Josephi multa et magna, imo omnia que habebat, a Deo impetrasse.

Plures S. Josephi prærogativas et dignitates recenset noster Sebastianus Barradius, lib. VI, c. viii.

Denique S. Josephum sanctificatum fuisse in utero matris censet Gerson, *hom. de Nativit. B. Virginis*, et III part. *alphabeti 89*, lib. II, ubi ait id ipsum asseri in Officio Hierosolymitano, et Jacobus de Valentia scribens super *Magnificat*. Idem de S. Jacobo, fratre Domini, qui ea de causa vocatus sit Justus, opinantur Ilegesippus apud S. Hieronymum, lib. *De Scrip.*, *Eccles. in Jacobo*; et Epiphanius, *heresi 29*. Idem de S. Nicolao et S. Dominico suspicatur S. Antoninus, III part. *Summa*, tit. 48, cap. xv, § 6. Idem de Jacobo Patriarcha, qui in utero matris collisus fuit cum Esau, illumque supplantavit, censet S. Ambrosius, lib. IV *de Fide*, c. iv; *Histor. Eccles.*, c. LXVI, in *Genesi*; et Dionysius Carthusianus in *Gen. c. xxv et xxviii*, ubi pro eadem sententia citat S. Augustinum. Idem de

As Jo-
sephe
sane
fiduciam
in utero
matris

Jose autumat S. Ephrem, *orat. de Transfig. Christi*. Alii idem privilegium dant Samsoni, quia de eo dicitur, *Judic. xiii*: « Et erit Nazareus (id est separatus et consecratus) Dei ab infantia sua, et ex matris utero. » Verum hæc incerta sunt, et tantum exemptionis a comuni peccati et nativitatis maculate lege privilegium nulli dandum est, nisi de eo constet e S. Scriptura, vel traditione. Hic autem nihil tale constat de ullo, nisi de Jeremia, cap. 1, § ejusdem, et de Joanne Baptista, *Luc. 1. 44*. Ita Barradius, lib. VII *Concord. Evangel.*, cap. xii; et Franciscus Suarez, *Ip., Quæst. XXVII, disp. viii, sect. 1*. Excepit Christum ex vi sui conceptio, quia conceptus est de Spiritu sancto, et natus ex Maria Virgine. Item B. Virginem, utpote matrem Dei, uti habet traditio Ecclesiæ. Potuit Deus pluribus hoc privilegium dare, sed an de facto dederit, nescimus. Sane si post B. Virginem illud alicui alteri ex initio recensitis dedit, S. Josepho ejus sponso id ipsum non negasse videtur.

DE QUÀ NATUS EST JESUS. — Mutat phrasim, non enim ait: Joseph genuit Jesum, uti de aliis dixit: « Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, Jacob genuit Judam, » etc., nec etiam dicit: « Maria genuit Jesum, » et si id verum sit, sed: « De qua natus est Jesus, » qua phrasi significat: *Primo* Jesum de Maria natum, non virtute naturali, sed supernaturali, vi et operatione Spiritus sancti. *Secundo*, Jesum non esse genitum a patre Josepho sed natum ex sola matre, ideoque ex virgine, ac proinde Joseph non aliter pertinere ad genealogiam Christi, quam ratione uxoris, scilicet B. Mariæ, ex qua natus est Christus.

Præclare S. Bernardus, *hom. 4 super Missus est*: « Pulchra, ait, permixtio virginitatis et humilitatis; nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua et humilitas commendat virginitatem, et virginitas exornat humilitatem; sed quantæ veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fecunditas, et partus consecrat virginitatem! » Et rursum: « Talis, inquit, nativitas decebat Deum, ut non nisi ex virgine nasceretur: talis partus decebat virginem, ut non pareret nisi Deum, » tum quia decebat, ut Christus habens Patrem in oculis, non haberet patrem in terris, sed matrem duntaxat, ut qui in oculis erat *patris*, in terris esset *matris*; tum quia conceptus et ortus Christi debebat esse remotissimus a peccato originali, ut nec deberet, nec posset illud contrahere, in eoque superaret matrem, quæ licet concepta sit sine peccato ex singulari Dei preservatione, tamen ex vi conceptionis sue, qua ex Adam naturali et generationi Joachimi et Annæ prognata est, debebat illud contrahere, nisi a Deo Delique gratia præventa fuisset; tum quia partus hic debebat esse purissimus et divinus; tum denique ut virginitatem et castitatem nobis impense commendaret. Unde S. Gregorius Nazianzenus, *oratio. 38 de Nativitate*, in principio: « Christus, inquit, ex virgine (nas-

citur); mulieres, virginitatem colite, ut matres Christi esse possitis. » Et Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi, c. xii*: « Christus, ait, nascobatur, ut virgines faceret: multo ergo magis debuit virginem conservare corpus. »

Secundo, hæc phrasim, « de qua natus est Jesus, » significat B. Virginem veram esse matrem Jesu, id est hujus hominis qui hypostaticè unitus Deo simul est Deus et homo: quare ipsam vere esse matrem Dei; licet enim ipsa non genuerit Deitatem, genuit tamen Deum, quia genuit hunc hominem: atqui hic homo est Deus; ergo B. Virginitatem Deum. Ratio a priori es. Identitas personæ; quia enim una est persona, eaque divina in Christo, hinc illi competunt attributa utriusque naturæ, sicut communicatio idiomatum, ut hic homo dicitur Deus, ac vicissim Deus dicitur homo, filius Virginis passus, crucifixus, etc. persona enim est suppositum in se suscipiens omnes naturæ utriusque actiones et passiones; quare persona Filii Dei, que est Deus, vere dicitur nata ex Maria Virgine, sed secundum naturam humanam, non divinam. Inducitur ergo hic immensa dignitas B. Virginis; talis enim est maternitas Dei, per quam Filius Dei ab ipsa suum esse et substantiam humanam, scilicet carnem, ossa, sanguinem, etc., accepit, ita ut eam coleret, amaret, revereretur quasi matrem eique ut matri in omnibus obediret, jugiter compellans eam: « Mater mea. » Unde S. Bernardus, *hom. 1 super Missus est*, id admirans, exclamat: « Utrinque stupor, utrinque miraculum; et quod Deus femine obtemperet, humilitas absque exemplo; et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. »

Virgo enim Deipara habebat jus et auctoritatem maternam in Christum, uti habent aliæ matres in suos filios quos genuerunt, imo plusquam aliæ matres, quia ipsa magis fuit mater Christi quam sint aliæ matres suorum filiorum, ob rationem quam mox asseram. Quocirca S. Thomas, I part., *Quæst. XXV, art. 6*, docet Deum non posse facere opus majus quam sit incarnatio Verbi et maternitas B. Virginis, quia ipsa est mater Dei, quo nil majus concipi potest; unde Beda: « O beatissima Virgo, inquit, in te sola Rex ille dives et prædixes exinanitus est; » maternitas enim Dei est summa affinitas, consanguinitas, et conjunctio cum Deo: per illam ergo B. Virgo tam affinis et consanguinea est Deo, quam mater filio.

Ex hæc dignitate maternitatis Dei sequuntur omnia dona et privilegia B. Virginis a Deo præ omnibus hominibus et Angelis concessa. Sicut enim humanitas Christi, quia Verbo unita ab eo accepit dotes et privilegia tali unionis et conjugio digna, que scilicet talem humanitatem sic exaltat et Verbo unitam decebat, imo que eam exaltarent, et unionem cum Verbo quasi dignam efficerent: sic pariter Deus B. Virgini largitus est

B. Virgo
est Mater
Dei

Dignitas
maternitas

Privilegia
ex eo
concessa
quædam

omnia charismata et decora que talem matrem Christi et sponsam Dei decebant. Unde sic concludit: B. Virgo est mater Dei; ergo ipsa longe excellentior est omnibus Angelis, etiam Seraphinis et Cherubinis, Mater Dei est; ergo purissima est et sanctissima, adeo ut sub Deo major puritas intelligi nequeat, ait S. Anselmus, lib. *De Excellentia Virginis*. Mater Dei est; ergo quidquid ulli Sanctorum concessum est privilegii, hoc illa præ omnibus obtinet.

Tertio, « de qua natus est Jesus, » significat eum ex sola matre natum, ac proinde illam solum Christo dedisse omnem carnem et substantiam quam cæteris filiis dant pater et mater conjuncti; filii enim partem substantiæ accipiunt a patre, partem a matre, imo plus accipiunt a matre quam a patre; pater enim potior est causa generationis filii quam sit mater. Quare B. Virgo plus dedit Christo quam filiis suis dant cæteræ matres, quia ipsa dedit quoque id quod pater dare solet. Unde ipsa magis est mater Christi quam sint aliæ matres suorum filiorum, quia ipsa sola fuit pater et mater Christi.

Hinc sequitur primo, quod B. Virgo majus jus habuerit in Christum quam habent cæteræ matres in suos filios. Secundo, quod B. Virgo longe magis amaverit Christum, ac Christus vicissim B. Virginem, quam aliæ matres amant suos filios, ac filii vicissim amant suas matres; tum quia sola eum genuit, tum quia genuit eum modo non naturali, sed supernaturali et divino. Amor ergo qui in cæteris filiis dividitur in patrem et matrem, in Christo fuit unitus totusque ferebatur in matrem: mater vicissim duplicato quasi amore patris et matris diligebat Christum, ideoque duplicato quasi sensu sensit dolores Christi in cruce, ac vicissim gaudia in resurrectione.

Quarto, « de qua natus est, » significat potissimam causam et activitatem nativitatæ Christi fuisse Spiritum sanctum, qui in B. Virgine ex purissimis ejus sanguinibus corpus Christi formavit, organizavit, animavit, ac Verbo hypostaticè univit in primo conceptionis ejus instanti. B. Virgo tamen quoque ut causa secunda, et vera mater ad generationem Christi, non tantum passive subministrando materiam, sed et active illam formando, disponendo, organizando concurrat. Vide Franciscum Suarez, III p. Q. XXXII, art. 4, ac Q. XXXI, art. 4, ubi docet generationem Christi ex virgine fuisse supernaturalem quoad modum et velocitatem, quia in instanti perfecta est a Spiritu sancto, velut causa efficiente. Eamdem vero naturalem fuisse quoad materiam, vim originis et terminum, quia terminus fuit proles, puta Christus natus ex matre, quasi filius ejus naturalis, instar aliorum filiorum, qui ex suis matribus naturaliter oriuntur et nascuntur. Actio ergo pariendi in ea fuit naturalis, sed modus fuit supernaturalis.

NATUS EST JESUS. — *q. d.*: Verbum caro factum

est, Deus factus est homo, Filius Dei factus est Filius Virginis. Hoc, ut fuse docet D. Thomas, III *part.*, *Quæst.* I, *art.* 1, fuit omnium Dei operum summum et maximum, ideoque illud stupuerunt et stupent Angeli Sanctique omnes. In eo enim Deus ostendit summam potentiam uniendo hominem Deo, limum Verbo, terram celo; ac summam sapientiam, ut qui divinitate pati et nos redimere non poterat, carnem in Virgine indueret, qua pati, et pro peccatis nostris Deo Patri satisfacere posset; summam quoque justitiam, quia ob dignitatem persone, ex æquo quasi Dei iræ et vindictæ moriendo in cruce satisfecit; summam etiam bonitatem, quia semetipsum exanimavit, ut nos suis donis repleret; « ac factus est filius hominis, ut nos efficeret filios Dei, » ut ait S. Augustinus. « Natus est in terra, ut homo nasceretur in celo, » ut ait S. Gregorius.

QUI VOCATUR CHRISTUS — hoc est, qui est Messias sive Christus, redemptor orbis Patribus promissus, ac proinde Messias sive Christus suo jure vocari potest et debet, itaque nunc ab omnibus fidelibus respice vocatur. De nomine Jesu et Christi dixi in titulo libri.

Quomodo hæc genealogia Christi consentiat cum illa S. Luc., c. III, 23, ibi enucleabo.

17. OMNES ITAQUE GENERATIONES AB ABRAHAM USQUE AD DAVID, GENERATIONES QUATTORDECIM; ET A DAVID USQUE AD TRANSMIGRATIONEM (SYRUS, usque ad exitum) BABYLONIS, GENERATIONES QUATTORDECIM; ET A TRANSMIGRATIONE BABYLONIS USQUE AD CHRISTUM, GENERATIONES QUATTORDECIM. — Ab Abraham ergo usque ad Christum sunt generationes 42, ter enim 14 faciunt 42. Lucas, caput. II, numerat generationes 77, sed nullam vim ponit in numero, uti facit hic S. Mattheus; S. Augustinus tamen, lib. II *De Consensu Evang.*, cap. IV, per 77 generationes censet denotari planam omnium peccatorum remissionem et abolitionem, quæ facta est per Christum: unde Christus jussit fratri peccanti dimittendum esse septuagesies septies. *Matth.* XVIII, 22. Per generationes accipit et numera personas omnes tam generantes quam genitas: hæc enim sunt 14. Græcè enim non est *γενεα*, id est generatio; sed *γενεα*, id est progenies, genus, familia et liberi, et hæc vite unitus hominis. Nam generationes ipse præcisè sunt tantum 13 in prima tesseradecade, ut videbis, si numeres *το γενεα*; hoc enim in ea 13 vicibus repetitur, quia in ea sola numeratur primus Abraham, et ultimus David: in secunda vero tesseradecade non numeratur primus in ea David; nec in tertia primus in ea Jechonias, quia hi jam dominati et numerati sunt ut ultimi in secunda et tertia tesseradecade, quapropter in tertia tesseradecade addi debet una generatio, scilicet: « Jechonias autem genuit Jechoniam, » ut in ea conflentur 14 generationes, hoc est 14 persone tam generantes quam genitæ, ut superius dixi. Generationes ergo omnes præcisè sunt 41; persone vero

generantes et genitæ sunt 42, quia primi, puta Abraham, generatio hic non recensetur, sed ex Genesi nota presupponitur.

Quæres quo fine S. Mattheus tam accurate hæc tres tesseradecades generationum enumeraverit? Respondetur, quia voluit triplicem populi Judaici statum recensere: primum quasi democraticum sub singulis Patriarchis et Judicibus, quales fuerunt Othoniel, Godeon, Samson, Heli, Samuel, etc., qui præferunt Israeli ab Abraham usque ad David; secundum quasi monarchicum sub regibus, qualis fuit sub David ejusque posteris usque ad captivitatem Babylonicam; tertium quasi aristocraticum sub duobus et pontificibus, uti fuerunt Judas, Jonathas, Simon cæterique Machabæi, qualis fuit a captivitate Babylonica usque ad Christum. Significat ergo Mattheus triplicem hunc populi statum et regimen tertio immutatum, quarto debuisse per Christum mutari et in Christo, qui regnum attulit æternum, terminari. Ita passim Patres et Interpretes; unde Nazianzenus in carmine de Genealogia Christi ait:

Sic traxit regale genus, scripturæque superbum.

Hic decimas quatuor criticas.

Addit Maldonatus medicam analogiam: medici enim in febribus et morbis diem decimum quartum vocant criticum, eumque omnium esse periculosissimum asserunt. Videtur ergo congrue ad naturam hominis, decima quarta quaque generatio, sive hominis etate et seculo, Deus populi sui statum immutatur voluisse, ut una republica quasi egrotante et deficiente, alia nasceretur et succederet melior, donec optima per Christum subrogaretur, quæ triplicis præcedentis defectus et infirmitates sanaret et corrigeret, ac regnum Ecclesiæ stabiliret vegetum, sanum et æternum.

Denique Mattheus enumerat 42 generationes per tres tesseradecades, ut probabilem lectori conjecturam faciat debuisse Christum, post exactum hunc numerum generationum, venire. Sicut enim fuerunt generationes 14 ante regnum Judæorum stabilitum, 14 in regno, post quas per 14 generationes sensim plane deficit, ita verisimili conjectura potuit colligi, post 14 hæc generationes regnum hoc deficiens et labascens a Messia in melius fore constituendum. Sicut enim fuerunt 14 generationes ante regnum, et totidem in regno, ita totidem fuerunt post regnum Israelis usque ad Christum. Rursus ante regnum facta est Christi pronatio ab Abraham, Isaac et Jacob; in regno Davidi et Salomoni; post regnum eadem repetita est per Aggeum, Zachariam, Malachiam, etc., ut sensus sit, *q. d.*: Omnes prophetiæ factæ de Christo tam ante regnum quam in regno, et post regnum terminatæ et adimpletæ sunt in Christo. Primam tesseradecadem inchoat Abraham, finit David; secundam inchoat Salomon, finit Joachim, sive Jechonias; tertiam inchoat Joachim, sive Jechonias, finit Christus, qui est finis

legis, totiusque populi et mundi captivi liberator. Ita Franciscus Lucas. Judæi enim ex defectu et lapsu suæ republicæ ac pressertim ex eo quod ablatum esset sceptrum a Juda per Herodem, ex prophetia Jacob, *Genes.* XLIX, 10, sciebant certoque expectabant adventum Messiam. Unde ex eodem jam collapsa, sceptroque translato, Messiam jam venisse, nec alium esse quam Jesum Christum docet hic S. Mattheus, ut Judæis fidem in Christum persuadent.

Symbolice Origenes, homil. 27 in Num.; et S. Hieronymus, epistol. ad Fabiolam de 42 mansionibus, notat has 42 generationes respondere 42 mansionibus Hebæorum in deserto, quibus ipsi ad terram Chanaan Abraham a Deo promissam pervenerunt. Simili enim modo per hæc 42 generationes pervenit, sive Christum; eidem promissum pervenit, et per eum ad terram viventium Sanctis in celo promissam.

Rursus numerus 14, quia geminatum continet septenarium quo septena Spiritus sancti gratia declaratur, duplicatum in homine designat ejusdem Spiritus largitatem, qualis fuit in Christo, qui proinde eodem symbolo die 14 mensis Nisan, cum luna plena est, puta in Paschate, passus morte sua nos redemit et gratiarum copiam nobis promeruit. Unde de eo canit Psaltes, *Psalms.* LXXI: « Orietur in diebus usque justitia, et abundantia pacis, donec auferatur luna. » Audi S. Ambrosium oratione in obitu Theodosii Imperatoris: « in quartodecimo perfectionem hominis accepimus, etc. Unde Domini Pascha 14 luna formam celebritatis accipit. Quoniam qui Pascha celebrat, debet esse perfectus, debet amare Dominum Jesum qui, diligens populum suum perfecta charitate, sese obtulit passioni. Grande numeri mysterium, quando Pater Filium unicum pro nobis omnibus tradidit, cum pleno lumine sui orbis luna fulgeret. Ita est enim Ecclesia, quæ pie Pascha celebrat, Domini nostri Jesu Christi; sicut luna perfecta in æternum manet, quisquis bene hic Domini Pascha celebrat, in lumine perpetuo erit. »

Anagogice, numerus 42 constat ex sex et septem; sexies enim septem faciunt 42. Senarius autem notat labores hujus vite, quibus pervenit ad septenarium, puta ad sabbatum quietis et felicitatis eterne; sex enim primis mundi diebus Deus omnia operatus est in celo et in terra; die autem septimo, puta Sabbato, requievit ab omni opere suo, *Genes.* I.

Tropologie quadragenario hoc generationum numero significatur nostra vita corporis quatuor elementis constans. Hæc enim in decem mandatorum Dei, quæ quatuor Evangelis perficiuntur, observatione consistit; hæc enim quatuor in decem, effices quadragesima. Ita Salmeron, imo S. Augustinus et ex eo Petrus Bongus, lib. *De Num. mysteriis*. Num. XIV: « Tres distinctiones, ait, in generatione Christi mystice inveniuntur

Symbollonum, epistol. ad Fabiolam de 42 mansionibus, notat has 42 generationes respondere 42 mansionibus Hebæorum in deserto, quibus ipsi ad terram Chanaan Abraham a Deo promissam pervenerunt. Simili enim modo per hæc 42 generatio-

Secundo.

Anagogice.

Tropologie.

fidem S. Trinitatis, quam concorditer astruit doctrina legalis et Evangelica. Tres enim, Trinitatis fidem; quatuor, doctrinam Evangelicam; decem, legis significant institutionem. Idem quoque paulo post: « Quod autem ter quatuordecim ponitur, id veram significat religionem. Quatuor enim et decem novum et vetus Testamentum indicant, quia via ad Christum per decem verba legis, et quatuor Evangelia predicatur; ita tamen, ut quiddam ascribitur Trinitati, quæ Deus est, consecremus, quia nulla præceptio impletur, nisi hic numerus colendi Deum teneatur. » Hoc quoque numeri typo, *Ezech.*, cap. iv, vidit quartodecimo anno percussio civitatis, novam civitatem, puta Ecclesiam, quam quartadecima generatione post excisam a Chaldeis Jerusalem, nascentem moriensque Christus fundavit et notavit Cassiodorus in *Psal.* xiv, sub finem. Denique 42 anno a passione Christi, in ejus vindictam Jerusalem excisa est a Tito et Vespasiano, uti notat S. Hieronymus in *Psalm.* cviii ad illa: « In generatione una deletur nomen ejus; » et tuncque cepit florere Ecclesia Christi. Hæc Bongus.

18. CHRISTI AUTEM GENERATIO SIC ERAT — *q. d.*: Christi ortus hoc modo contigit: pro generatio enim Græce non est γενεα, id est generatio proprie dicta, sed γενεα, id est ortus, conceptus, generatio, natalitas, quæ quis oritur, concipitur, gignitur, nascitur.

CUM ESSET DESPONSATA (1) MATER EJUS MARIA JOSEPH, ANTEQUAM CONVENIRENT (copularentur actu conjugii) (2); Arabicus, antequam sese cognoscerent, INVENTA EST IN UTERO HABENS (uterum ferre, esse prægnans et gravidam) DE SPIRITU SANCTO. SYRUS: « De Spiritu sanctitatis, » id est sancto et sanctitatis omnis auctore et fonte.

Voluit Deus B. Virginem desponderi Joseph: Primo, quia Joseph videtur fuisse proximus regi Davidis hæres, ut illud ab eo ad Christum quasi a patre ad filium recto successione ordine jureque devolveretur, uti dixi, 16. Secundo, quia Joseph fuit vir sanctissimus, ut ibidem dixi, si nullis Patriarchæ Joseph, cujus proinde uti nomen, sic et castitatem virtutemque sortitus est, dicitur Joseph, id est *actus*, magnisque Dei donis et virtutibus cumulat. Ita S. Bernardus, *homil.* 2 super *Missus est* Vide dicta *Genes.* xxx, 24 et cap. xxxix, 20.

Quæres an B. Virgo fuerit hic despensata Josepho per sola duntaxat sponsalia, an vero etiam per matrimonium reipsa contractum et nuptias celebratas; ac consequenter, an Christus incarnatus et conceptus sit ex Virgine despensata tantum, an vero etiam conjugata? nam ad Virginem

(1) Græce: *ὑποθήκεως*, ἡγά, cum enim esset despensata. Particula ἡγά, inquit Kaimel, habet hoc loco vim explanandi et connectendi præcedentia cum sequentibus; ita scilicet.

(2) Vid. notam sequentem.

sic despensatam missus est Gabriel nuntius incarnationem Christi, *Luc.* 1, 27; Virgoque ejus nuntio consentiens, dicensque: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, » illico eodem instanti concepit Christum. Multa censent B. Virginem tantum despensatam fuisse per sponsalia, sive per verba de futuro, quibus tantum fit promissio matrimonii. Ita S. Hilarius hic; S. Basilius, *hom. de Humana Christi Generatione*; Origenes, *homil.* 1. in *diversis Evang. locos*; Cyrillus, *catechesi* 12; Abulensis et Cajetanus (3). Verum melius alii censent B. Virginem despensatam fuisse non tantum sponsalia, sed etiam per matrimonium per verba de presenti, et nuptias reipsa contractas. Probatur primo, quia vers. sequenti et vers. 16, Joseph vocatur vir, id est maritus Mariae. Jam ergo per matrimonium illam sibi maritavit. Secundo, Joseph voluit eam, ut pote gravidam, dimittere, ut dicitur vers. seq. Ergo jam eam acceperat in uxorem; nemo enim dimittit id quod non habet. Tercio, quia despensatam *Luc.*, cap. u, 5, interpretatur conjugatam, imo eam vocat uxorem Josephi. Erat ergo ipsa jam ducta, et traducta in domum sponsi Josephi quasi uxor, ut scilicet Joseph esset testis virginitatis ejus, ejusque æque ac pueri Jesu esset custos et nutritus. Adde: B. Virgo illico accepto Gabrieli nuntio jam plena Verbo visitavit Elisabeth, ac apud eam mansit tribus mensibus; unde ibi non videtur celebrasse matrimonium cum Josepho, nec post reditum in Nazareth, quia nullum ejus extat vestigium: ergo ante Gabrieli nuntium et Verbi incarnationem matrimonium hoc celebravit; nec decebat Virginem innuptam iter tantum in montana conficere sine marito, vel comite, vel potius direttore associante et ancillam vel cognatam fidellem. Quarto, quia si non fuisse conjugata, Judæi videntes utrum ejus intumescere, illi notam fornicationis, imo adulterii impigerent illamque lapidassent. Quinto, quia plane decebat Christum ex conjugata in conjugio nasci, nec a Judæis ut spurium contemneretur, sed ut

(3) Hæ accensendi sunt et recentioribus plures, inter quos P. Patrinius, *De Evang.* lib. III, *disc.* 13, cap. 1, tom. II, p. 133. Et revera, licet verbum *ὑποθήκεως*, ut lat. *convenire*, de usu conjugii adhibetur, inquit P. Binoel, idem tamen dicitur quoque de domicili conjunctione, de sponso qui sponsam domum ducit et sponsa que deducitur. Vid. Xen. *Oecon.* X, 4. Et hoc ultimo sensu illud hic sumendum suadet que legitur 30: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*; et 34: *Et accipit conjugem suam*; unde sequitur nuptias nondum celebratas fuisse. Vid. etiam P. Schegg, *Die heilig. Evang.*, tom. I, p. 419, Münch. 1836.

E rationibus in contrarium allatis quartæ duntaxat et quintæ negotium aliquod facere possunt. Hæc respondet P. Lami, *Comment. in concord. evang.*, p. 84, Josephum, cui primo res innotuit, et qui mysterium omne edoctus fuit, suspensionem de conjugio amovere potuisset. Præterea Maria raro in publicum prodians non in ore hominum erat, et parturienti extra incolatum et protinus post partum in Ægyptum fugiens, non dedit locum rumoribus.

B. Virgo fuit despensata, id est contracta conjugata. Prob. Prima. Secunda. Tertia.

Obijciat Secundo. Resp. Obijciat Tercio. Resp.

Obijciat Tercio. Resp.

Verum fuit matrimonium inter Joseph et B. Virgine.

fecitque acceptare. Et hæc de causa Joseph vocatur pater Christi. Denique proles est proprius matrimonii fructus. Ita S. Hieronymus, Haymo et S. Chrysostomus hic, *homil.* 4; Theophylactus; S. Ambrosius, lib II in *Lucam*; Jansenius, Suarez et alii, passim.

Obijciens primo: Angelus hic ait Josepho: « Noli timere accipere Mariam conjugem tuam; » ergo nondum eam acceperat in conjugem, sed tantum desponderat per sponsalia. Respondetur, accipere hic idem est quod acceptum habere et retinere; ait enim vocatque eam *conjugem tuam*. Erat ergo ipsa jam conjugata. Hebræa enim verba sæpe actum non inchoatum, sed continuatum significant, ut dixi *Canone* 12. Sensus ergo est, *q. d.*: Noli, ô Joseph, dimittere Mariam tuam conjugem, sed acceptam serva et retine. Non enim dimittitur, nisi jam acceptum et habitum. Obijciens secundo: B. Virgo hic dicitur despensata antequam conveniret, ergo ante conjugium. Respondetur: Nego consequentiam, quia convenire hic non significat contrahere matrimonium, nec cohabitare, sed contracto matrimonio uti; notat enim congressum et actum maritalem, de quo mox plura.

Obijciens tertio: Cur ergo hic non dicitur conjugata, sed despensata? Respondetur: Dicitur despensata, quia viro incognita perinde ac est sponsa, quæ viro necdum nupta, sed tantum est promissa. Ita S. Chrysostomus. Unde B. Petrus Chrysologus, *serm.* 178: « Joseph, ait, maritus solo nomine, conscientia sponsus, » id est, sponsus per matrimonium ratum, sed non maritus per consummatum, sive per copulam. Et S. Bernardus, *homil.* 2 super *Missus est*: « Virum nominat, quia homo virtutis erat, non quia maritus. »

Porro verum fuisse matrimonium inter Josephum et B. Virgine, certum est ex dictis et ex communi Theologorum et Jurisperitorum axiomate: « Matrimonium facit non copula, sed consensus. » Unde S. Augustinus, lib. I *De Nuptiis et concup.*, cap. xi: « Nuptiarum, ait, bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, Joseph et fides, sacramentum (hæc enim sunt tria matrimonii bona, que ex S. Augustino illi assignant passim Theologi): prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum; fidem, quia nullum adulterium; sacrementum, quia nullum divortium. » Idem tusus docet, lib. V. *Contra Julianum Pelagium*, cap. ix, jus enim matrimonii non repugnat religioni et voto castitatis. Ex matrimonio habeo jus in uxorem, sed ex voto non possum licite eo uti. Si tutor, pecco contra votum, non contra matrimonium, id est facio actum irreligiosum, sed non injustum; non enim est adulterium, uti esset, si foret uxor copulata matrimonio. Joseph ergo per matrimonium habebat jus in B. Virgine, ut posset uti popula

maritali, sed per castitatis propositum, et, ut videtur, votum, hoc jure suo non est usus, nec uti voluit: hæc enim duo valde distincta sunt, habere jus ad copulam, et copula uti; prius requiritur ad matrimonium, non posterius.

Jus autem hoc copulæ, et quasi dominium conjugis, in virginibus conjugatis habet aliquos effectus non fictos, sed veros et reales. Primus est, ut conjux virgo non possit alteri nubere. Secundus, ut licet per copulam votum violent, non tamen sit fornicatio. Tertius, ut proles divinitus data et nata (uti Christus hic conceptus ex Spiritu Sancto) sit et habeatur legitima, utpote ex legitimo conjugio prognata. Ita Suarez, III *part.*, *Quæst.* XXIX, *art.* 1, *sect.* 1.

Ex dictis collige non tantum verum, sed et licitum, imo sanctum fuisse conjugium B. Mariæ cum Josepho. Verum, quia essentia matrimonii consistit in mutua traditione et potestate corporum, etiamsi hæc potestas nunquam in actum redigatur; votum autem virginitalis nemini hoc jus et potestatem admittit, sed tantum illius usum facit illicitum. Sicut ergo dominium separatur ab usu in nonnullis religiosis, qui manent domini hereditatis pærenæ, sed ob votum paupertatis illa uti non possunt; sic idem dominium separatur ab usu in conjugio virginum. Licet, quia, licet volisset virginatam B. Virgo, licite tamen et sine periculo violandi voti iniiit matrimonium cum Josepho; quia ex instinctu Spiritus sancti sciebat Josephum potestate sua et jure maritali nunquam usurum ad votum hoc infringendum. Ita S. Augustinus, lib. De S. Virg., cap. iv, et passim Theologi. Et verisimile est, Virgine hoc sum votum Josepho ante matrimonium revelasse, et Josephum in illud consensisse. Addunt aliqui et promississe se illud custoditurum. Sanctum, quia per matrimonium hoc Joseph tutatus esset famam et virginatam B. Virginis, ac puerum Jesum custodivit, aluit, educavit. Quid eo sanctius?

Vide S. Thomam, III *q.* XXIX, *art.* 1, in corpore ubi multas affert causas cur ex Virgine despensata natus sit Christus. Adde: Potest et quinta ratio esse quod mater Domini fuit despensata et virgo: quia in persona ipsius, et virginitalis, et matrimonium honoratur contra Hæreticos alteri horum detractores. Addit aliam rationem S. Ignatius martyr, quem citat S. Hieronymus hic: « Ut partus ejus, inquit, celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed ex ore generatum, » Deo scilicet impediante, ne diabolus videret quod naturaliter videre poterat, quid scilicet ageretur inter B. Virgine et Josephum, videlicet quod viverent caste et intactæ.

Tropologie: nota hic in B. Virgine et Josepho summum angelicæ castitatis et virginitalis gradum. Aliæ enim virgines fugiunt viros, et virginitalitatem in claustris et coelibus virginum conservant. At B. Virgo in ipso conjugio, assidue versans cum viro virginitalitatem illibatam ser-

Tres effectus matrimonii virginum.

Matrimonium B. Virginis verum.

Sanctum

Tropol.

vavit, quod tantumdem est, ac inter epulas esurire, inter vestes algere, inter honores se humiliare, imo in igne versari non ardere. Nam, ut ait S. Bernardus, serm. 63 in Cant.: « Cum femina semper esse, et non cognoscere feminam, nonne plus est quam mortuum suscitare? » Quocirca B. Virgo nonnullis eximis personis sibi devotis, hoc continentie in conjugio donum communicavit. ut S. Pulcherie et Martino Imperatori, SS. Juliano et Basilissæ, quibus prima nocte post emissum continentie votum apparuit hinc Christus stipatus ingenti albatum choro, inde B. Virgo cineta virginum cretu. Qui cum Christo erant, succinebant: « Vicisti, Juliane, vicisti. » Qua cum B. Virgine, occinebant: « Beata es, Basilissa, que terrenas nuptias spernens, ad æternam gloriam te preparasti. » Quocirca Julianus innumeris Christo fideles et martyres; Basilissa vero innumeras virgines verbo et exemplo Christo peperit. Ita non sterilis, sed fecundissima est virginitas conjugum, uti fuit in Deipara, que genuit Jesum hominem et Deum. Vide vitam eorum apud Sorium die 9 januarii. Sic S. Eduardus, Angliæ rex, mire devotus B. Virgini, ejus imitatione cum conjugio Editha illibatam pudicitie florem servavit. Unde ab ea per S. Joannem Evangelistam evocatus et assumptus est in cœlum anno Domini 1066, die 5 januarii. Idem fecit S. Cæcilia cum sponso Valeriano, quibus proinde B. Virgo per Angelos coronas ex illis et rosis celestibus transmisit. Idem S. Henricus I, vel ut alii numerant, II, Imperator, cum conjugio sua Cunegunde, quam moriens parentibus reddens: « En, inquit, virginem a vobis accepi, virginem restituo. »

Symbolice: in hoc matrimonio et familia Joseph cum Maria fuit imago S. Trinitatis; Joseph enim representabat Patrem æternum, B. Virgo Spiritum sanctum, quia ipsa erat sanctissima, et quia ex Spiritu sancto conceperat; Christus seipsum, puta, Filium Dei. Unde primo: sicut in S. Trinitate est una essentia deitatis in tribus personis, sic hic unum erat matrimonium, et una familia perfecta e tribus personis, scilicet Joseph, Maria et Christo. Secundo, sicut in S. Trinitate Pater spiritaliter generat Filium et spirat Spiritum sanctum; ita hic B. Virgo spiritaliter, non carnaliter, puta per virtutem Spiritus sancti, conceptu peperit Christum. Tertio, in S. Trinitate Pater generat Filium, sicut lux emittit lumen, unde in symbolo cœlitium: « Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; » ita B. Virgo quasi stella maris peperit Christum, qui est « candor lucis æternæ et speculum sine macula. » Sap. vii, 28. Unde sicut sine sui corruptione sidus fulgidum evibrat radium; sic absque sui læsione Virgo genuit Christum, qui est lux mundi: « Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Filius Virgini suam integritatem, » ait S. Bernardus, hom. 2 super Missus est. Unde illud S. Simeo-

nis de Christo: « Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tue Israel. » Luc. ii, 32.

Fuit ergo hæc familia quasi cœlum quoddam terrenum, trium non tam hominum quam corporeorum Angelorum, imo trium quasi personarum divinarum symbolica. Quare non dubium illam plenam fuisse Angelis ministrantibus Virgini, quasi Regine cœlorum; ac Christo, quasi Domino Deoque suo: nimirum stupebant illi et summe desiderabant videre Verbum incarnatum. Igitur domus illa quasi cœlum erat admirandum celans mysterium: « Nigra foris, sed formosa intus, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis, » Cant. i, 3, ait Rupert. Unde Ioannes Gerson, serm. de Nativitat., quasi altonitus exclamat: « O quam dilecta Trinitati, Patri, Filio, et Spiritui sancto domus illius Trinitatis, Christus, Maria, Joseph! nil charius, nil melius, nil in terris erat excellentius. Invidebat terris talia habitatores cœlum, utique cœlo digniores quam terris. »

Tropologicè: conjuges imitentur B. Virginem et Josephum in castitate, sanctitate, patientia et charitate, ut alter alterius onera portet. Erat enim in familia Josephi, Mariæ et Christi summa omnium concordia, summus amor, summa reverentia, humilitas, pietas, auxilium et obsequium mutuum; ab ea procul aberat non tantum rixa, sed et omnis mali vel levissima suspicio. Hinc meruerunt gignere Christum Sanctum Sanctum. Nunc sæpe in familiis sunt proles prave, inobedientes, superbe, rixosæ, obscenæ quia tales sunt parentes. Patrem enim sequitur sua proles, que quod videt et audit a patre et matre, hoc imitatur et imbibit; proles enim sunt simiæ parentum.

ANTEQUAM CONVENIRENT. — Puta ante congressum et actum maritalem, non quasi postea convenerint, ut inferebat impurus Helvidius, qui negabat B. Virginem semper fuisse virginem, assereratque eam postea ex Josepho concepissee ac genuisse eos qui in Evangelio vocantur fratres Domini, quem multis confutit S. Hieronymus, sed tantum ut indiceretur miraculosa Christi ex Virgine sine opera viri conceptio. Sic vulgo dicimus: Talis habuit canos, antequam senesceret, significantes mirum esse quod viro nati sint cani, etiamsi is postea non senuerit, sed ante senium mortuus sit; significamus enim duntaxat quod factum sit ante senium, non quid in senio, vel post senium; illud enim velut impertinentes tacemus et præterimus. Simile est, cum dicimus: Hic puer sapit ante virilem ætatem, hoc est præcocius est ingenii, etiamsi ante virilem ætatem moriatur, uti sæpe præcocius moriuntur. Porro fratres Domini vocantur cognati Christi. Nam, ut ait S. Hieronymus, lib. Contra Helvidium, fratres dicuntur quatuor modis, natura, gente, cognatione, affectu. Natura fratres sunt, qui ex eisdem parentibus nati sunt; gente, qui ex eadem gente sunt oriundi. Sic Paulus Judeos vocat fratres suos

Familia
Maria et
Joseph
erat cœ-
lum ter-
renum.

Tropo-
logicè.

Roman. ix, 1 et sequenti: cognatione, quia cognati vocantur fratres in Scriptura; affectu, ut cum Christiani amant se mutuo amore fraterno; hic est enim amor fraternitatis quem toties commendat S. Paulus.

INVENTA EST IN UTERO HABENS (gravidata esse, ut veritè Arabicè) DE SPIRITU SANCTO. — Nota Josephum ex timore uteri deprehendisse B. Virginem conjugem suam concepissee, sed an seiverit eam concepissee de Spiritu sancto, dubium est. Affirmat S. Basilius, Origenes, Theophylactus et alii superius citati. Contrarium verius est, quia Joseph volens eam dimittere, versu sequenti, vetatur ab Angelo, qui et scrupulum eximens subjicit: « Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. » Ergo ante revelationem Angeli id nesciebat; si enim id seivisset, nolisset eam dimittere.

Dicitur ergo B. Virgo « inventa in utero habens de Spiritu sancto, » eo quod revera concepissee de Spiritu sancto. Unde de Spiritu sancto referendum est ad « in utero habens, non autem ad « inventa. Ita passim ceteri Patres et Interpretes. Addit Origenes eam inventam ab Angelis; hi enim sciebant eam concepissee de Spiritu sancto.

DE SPIRITU SANCTO. — Non quasi de Spiritu sancti substantia decisus sit Christus, uti fit in aliis proliibus que deciduntur a parentibus; nec de Spiritu sancto, ut patre; quia Christus, qua homo, non erat similis Spiritui sancto, qui est Deus in natura; sed de Spiritu sancto, ut figulo et artifice. Ita S. Ambrosius in Luc. i, 35. De Spiritu sancto ergo, non quasi de patre, sed quasi de patris concursu supplente; quod enim fecit pater in matre, hoc Spiritus sanctus fecit in Virgine formando Jesum per suam potestatem et operationem, ait S. Ambrosius, lib. II De Spiritu sancto, cap. v, et S. Augustinus in Enchiridio, cap. xxxix. Nam materiam corporis quam aliis filiis subministrat tam pater quam mater, hanc sola B. Virgo subministravit Filio suo. Vide Franciscum Suarez, III part., Q. XXIX, art. 1, alioqui proprie de significat causam efficientem, ex materialem. Unde Christus dicitur in symbolo « conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine. »

Quæres cur non æque dicitur Matheus, in utero habens de Patre æterno, aut de Filio, sicut dicit, in utero habens de Spiritu sancto? Respondetur id æque vere cum dicere potuisse. Axioma enim Theologorum est: Opera S. Trinitatis ad extra (in creaturis) omnibus tribus personis divinis esse communia; sed maluit dicere de Spiritu sancto, quia sicut potentia appropriatur Patri, et sapientia Filio, utpote Verbo; sic amor, bonitas, gratia que in hoc incarnationis opere maxime elucet, attribuitur Spiritui sancto. Nam Spiritus sanctus a Patre et Filio procedit per spirationem, quasi terminus amoris notionalis Patris et Filii.

Porro S. Thomas, III part., Q. XXXII, art. 1 et seq., ac ibidem Suarez docent « de Spiritu sancto tria significare. Primo, ex puro amore Dei et Spiritus sancti, sine meritis hominum; peractum esse Verbi incarnationem. Secundo, ex eadem gratia Dei et Spiritus sancti conceptum esse, sine prævisis ejus meritis. Unde S. Augustinus, lib. De Prædest. Sanctior., cap. xv, Christum quasi ideam prædestinationis et prædinatorum proponens: « Ea gratia, inquit, fit ab initio fidei sue homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus; de ipso Spiritu et hic renatus de quo est ille natus: eodem spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo Spiritu factum est ut nullum haberet ille peccatum. » Tertio, Christum ex vi conceptionis sue fuisse sanctum; sicut enim homo qui per generationem communem propagatur ex Adam peccatore, ex vi conceptionis sue nascitur peccator; sic Christus, qui conceptus « quasi propagatus est de Spiritu sancto, ex vi conceptionis sue conceptus est sanctus; quod enim operatur Spiritus sanctus, hoc aliud esse nequit quam sanctum, sicut ignis non aliud producit quam calorem et ignem. Quarto, de Spiritu sancto significat Spiritum sanctum in efformatione humanitatis Christi, omnem suam sanctitatem in eam transfundisse (quantum creatura capax est potestique suo creatori assimilar) eamque quasi in se transfundisse, ita ut post se fecerit eam quasi exemplar et prototypum sanctitatis, ut ex illo et ad illud omnem deinde sanctitatem omnium tam Angelorum quam hominum quasi expingeret et exprimeret. Humanitas Christi ergo fuit ex quo optimam, propriam et sanctissimam Spiritus sancti, in quo ipse omnis sanctitatis fontem constituit, qui sua puritate omnes scelerum sordes ablueret omnesque peccatores (quantum in se est) sanctificaret.

Porro S. Thomas, III part., Q. XXXII jam citata, art. 2, docet prepositionem de, cum dicitur de Spiritu sancto, significare Christum esse consubstantialem Spiritu sancto quoad divinitatem, non quoad humanitatem quam in Christo operatus est. Verum negat S. Augustinus in Enchiridio, cap. xxxix: « nam, inquit, de homine nascitur capillus, pediculus et lumbrius, quorum nihil est illius, quia diverse sunt ab homine substantiæ; » ergo prepositio de non significat rem factam esse consubstantialem suo factori.

Articulo vero 4 docet D. Thomas ex Aristotele, et ex utroque Suarez, B. Virginem solum materialiter concurrisse ad generationem Christi subministrando corpori ejus materiam, puta sanguinem, non effective, quia sic accidisset semen, quod videtur repugnare purissimæ ejus virginitati. Verum contrarium censet S. Bonaventura et S. Scotus ex Galeno, qui docet matrem non tantum materialiter, sed effective (licet debiliore actione quam pater) concurrere ad generationem proliis; quare valde probabile est B. Virginem effective

B. Virgo
effective
concurrere
ad genera-
tionem
Christi.

quoque concurrisse ad generationem Christi, quia sic magis fuit mater Christi quam si solum materiam subministrasset. Nec id obstat illibate ejus virginitati, quia sine omni concupiscentia, inoperante Spiritu sancto, purissimus ejus sanguis (qui vicem habuit seminis) decisus est ad formandum corpus Christi.

19. JOSEPH AUTEM VIR EIUS, CUM ESSET JUSTUS, ET NOLLET EAM TRADICERE, VOLUIT OCCULTE DIMITTERE EAM.—Primo S. Chrysostomus hic, S. Augustinus epistola 52 ad Macedonium, S. Justinus Contra Tryphon, Franciscus Lucas, hic censent Josephum male suspicatum de B. Virgine quod ex alio viro concepisset; id enim innuere videtur *tradicere*; sed procul absit hæc suspicio a viro tam probi de virgine tam sancta. Quomodo enim Joseph de tali suspicari potuisset eam adulterum commississe vel fornicatam esse in domo parentum?

Secundo. Alii censent Josephum ex reverentia voluisse dimittere B. Virginem, quod se indignum censeret illa quam Deus fecundasset. Unde censent pariter quod S. Joseph B. Virginem comitatus sit dum visitaret Elisabeth, ab eaque audivit B. Virginem salutari matrem Dei ideoque esse se putasse indignum. Ita Origenes et S. Basilus locis jam citatis, Theophylactus hic et S. Bernardus, hom. 2 super Missus est. Idipsum sibi revelatum asserit S. Brigitta, lib. VII Revelat., cap. XXV; unde noster Salmeron, lib. III, cap. XXX, tredecim rationibus hoc ipsum confirmat.

Tertio, plane et genuine, Joseph videns B. Virginem gravidam, rei novitate fuit attonitus, et suspensus varios animi motus astusque sentiebat, ex quibus sic ratiocinabatur: Scio hanc Virginem esse sanctissimam; unde illam fidem mihi datam fetellisse non credo. Est tamen gravida, scio quod non ex me; ex quo, nescio. An forte a sponso aliquo priore? an in itinere visitatura Elisabetham ab aliquo vim passa? an dormiens a spiritu quodam illusa? an potius, quod ejus sanctitas suadet, ab Angelo vel Deo ipso imprægnata? si ita est, nolim ego definire illam quam Angelus vel Deus sibi ambit: indignus ea sum que digna est Deo vel Angelo; quare illam ei resignabo et a me dimittam. Id permisit Deus, ut conceptus Virgine ex Spiritu sancto, tum a Josepho, tum ab Angelo omnibus testatus fieret; sicut permisit S. Thomam dubitare de resurrectione Christi, ut ipse, tangens Christi vulnera, fieret testis inrefragabilis resurrectionis ejusdem. Joseph ergo, vir justus, docet conjugis et fideles, ne ob indicia de personis probis et sanctis male suspicentur, sed in indicis sistant, nec ulterius pergant a inferendam consequentiam criminis, sed potius illa in meliorem partem interpretentur.

Dices: Cur Joseph non interrogavit B. Virginem quid sibi vellet uteri tumor, et ex quo esset gravida? Respondetur: Fuit hic prius

quasi motus mentis Josephi, quem ex verecundia tænit; mox præventus fuit ab Angelo, qui pro Virgine respondit eamque excusavit, dicent eam concepisse ex Spiritu sancto.

B. Virgo autem, ex modestia, noluit ultro secretum hoc divinum Josepho pandere, ne sua dona tanta et tam divina jactare videretur, sed Deo, Deique providentiæ et curæ cuius totum hoc opus erat, idipsum resignavit, certissime confidens Deum suam innocentiam et famam tutaturum, ac rem totam opportune vel patefaciturum, uti paulo ante Elisabethæ cognatæ patefactum esse experta erat, vel directurum omnia ad majorem suam gloriam, et consequenter ad majorem conceptionis hujus honorem et venerationem. Unde vide hic et mirare magnanimitatem et magnanimitatem B. Virginis in Deum resignationem et confidentiam, qua omne hoc suspicionis sinistre et infamie periculum metumque discussit: qua in rarum dedit exemplum æquanimitatis et constantiæ uxoris que maritos habent zelotypos, æque ac fiducia in Deum, ut sperent quod Deus innocentiam et castitatem eorum pandet, proteget et celebrabit, uti hic fecit B. Virgini. Ita S. Hieronymus: «Hoc, ait, testimonium Mariæ est, quod Joseph sciens illius castitatem et admirans quod e venerat, celat silentio cuius mysterium nesciebat.» Et S. Ambrosius in cap. I Lucæ: «Maluit, ait, Dominus quosdam de sua generatione, quam de matris pudore dubitare.»

Hinc videtur S. Joseph non fuisse comitatus B. Virginem, dum ipsa mox a conceptione Christi visitavit S. Elisabeth; si enim fuisset comitatus, vidisset et audisset magnalia et mirabilia de B. Virgine quæ omnem ei scrupulum exemissent, nec de ejus dimissione cogitasset, ac præsertim illud quod dixit S. Elisabeth B. Virgini: «Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?» Inde enim scivisset B. Virginem non tantum concepisse ex Deo, sed concepisse ipsammet Deum, eumque utero suo gestare. Nota, Joseph hic vocatur justus, id est probus, utpote qui ex charitate vellet conjugis sue famæ, imo et dignitati consulere, dum eam occulte dimittere cogitavit consilium. Censent S. Hieronymus et Theophylactus lege veteri præceptum fuisse maritis, ut uxores, si adulterium commisissent, traducerent, et apud iudices accusarent tradereutque puniendas. Verum nullum locum in quo id præceptum sit, afferunt. Nam locus ille, Num. v. 2, id tantum permittit, non vero precipit; sed, ut dixi, hoc crimen procul aberat a B. Virgine, et ejus suspicio p. u. u. u.

TRADUCERE—non in domum suam, et vult Abulensis. Græce enim est *επαδουρμασαι*, id est infamare, proplare, publicum exemplum facere, et, ut S. Augustinus, epist. 50 ad Paulinum verbo tenus vertit, exemplare. Solebant enim adulteri in Cæta, sicut captivos Romæ, per mediam viam

populo spectandos et deridendos traducere; inde traducere significat divulgare, diffamare. Unde illa lex olim et pena in lenas: «Lenæ et polygami mithellati per publica civitatis loca efferuntur ut calamidentur et derideantur.» Et Propertius:

Nec sic infamis totam traduceret urbem.

Vide Budæum in *Pandectas*, pag. 263, in verbo *καταδικασι*, id est derideo, traduco (1).

VOLUIT OCCULTE DIMITTERE EAM.—per secretum divortium, dando ei occulte libellum repudiij, ait Abulensis hic, *Quasi*. XXXIX, aut potius et honestius secedendo ab ea pretextu peregrinationis, quasi abiturus in longinquam regionem. Ita Maldonatus. Unde Syrus vertit: «Et cogitabat clam illam derelinquere;» Arabicus: «Cum non vellet eam divulgare, cogitavit de dimissione ejus occulta (2).»

20. HEC AUTEM EO COGITANTE (non plane decernente; fuit enim hæc prima cogitatio et quasi primus animi motus), ECCE ANGELUS DOMINI APPARUIT EI IN SOMNIS, DICENS: JOSEPH, FILI DAVID. NOLI TIMERE ACCIPERE (id est acceptam refinere, eique deinceps indivulse convivere, jam enim duxerat in uxorem, ut dixi vers. 18 (3).) MARIAM CONJUGEM TUAM, QUOD ENIM IN EA NATUM EST, DE

SPIRITU SANCTO EST.—*Natum*, simul scilicet et eodem tempore conceptum, formatum et animatum; hoc enim priore dicitur *quod* id est generatum et actum. Vide Abulensem, loc. cit. III; et S. Thomam, *II part.*, Q. XXXIII et XXXIV ubi docet Christi corpus a Spiritu sancto priore conceptionis suæ instanti quoad omnia membra fuisse: *Primo*, perfecte formatum et organizatum; *secundo*, animatum anima rationali; *tertio*, assumptum a Verbo; *quarto*, animam Christi fuisse impletam omni sapientia et gratia capillis, quam scilicet influeret in omnia membra, id est in omnes fideles; *quinto*, eandem vidisse Deum per visionem beatificam; *sexto*, eandem usam ratione extra visionem beatificam, per scientiam infusam, ac per eam cognovisse se unitam Verbo hypostaticè, ideoque pro hac unione et exaltatione summa Deo egisse gratias; Deum vero et revelasse suam voluntatem de ejus morte et cruce, ut per illum homines redimeret et salvaret; ipsam vero mox id acceptasse, seseque Deo in holo-

(1) Virgo alicui desponsata, si se ab alio vitari sivist, re preta, lapidibus extra urbis moenia obruebatur.

(2) Femina, licet simpliciter desponsata, necdum mariti domum deducta, non poterat aliter dimitti nisi dato libello repudiij et testibus adhibitis, sine quibus nullus libellus legitimus erat. Poterat tamen vir causas dimissionis reticere, nec criminaliter in uxorem agere ex lege, sive si ejus honora ac vite consideret, sive propter alias rationes; atque licet sensus dicitur Josephus voluisse occulte Mariam dimittere, non vero ab ea secedendo, nisi vim velis inferre verbis.

(3) Sensus est potius: in matrimonium accipere, juxta superioris dicta; neque accipere idem est ac acceptum retinere.

caustum et victimam pro peccato ad mundi salutem ultro summa humilitate, obedientia, reverentia, amore, exultatione et júbilo mentis obtulisse, dicendo: «Ecce venio; in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus, volui, et legem tuam in medio coram me.» Ps: XXXIX 8, et Hebr. x, 7. Vide ibi dicta.

DE SPIRITU SANCTO—qui modo ineffabili et divino hæc omnia quæ dixi in B. Virgine operatus est. Præclare S. Augustinus, epist. 34 ad Macedonium: «Apparuit, inquit, illi Angelus, qui doceret esse Numinis quod ille putaverat criminis.» Putat enim S. Augustinus Josephum voluisse dimittere B. Virginem ob suspicionem adulteri, uti superius dixi.

21. PARIET AUTEM FILIUM, ET VOCABIS NOMEN EJUS JESUM; IPSE ENIM SALVUM FACIET POPULUM SUUM A PECCATIS FORUM.—Si Jesus qui, ut sequitur, est Emmanuel, id est nobiscum Deus, sed partus et filius B. Mariæ, ut hic dicitur; ergo ipsa ejusdem est mater, ideoque non tantum Christipara, sed et Delpara, uti definitum Concilium Ephesinum contra Nestorium; mater enim et filius sunt correlativa. Rorsum damnatur hic Valentinus, qui docebat Christum e celo corpus celeste detulisse, ac per B. Virginem tantum quasi per canale transisse quia, quæ parit filium, hæc vere mater est filii, eique corpus et membra omnia subministrat, ubi format.

JESU—id est Salvatorem. Hoc nomen fuit proprium Christo, hic ab Angelo prænuntiatum, sed in circumcissione illi inditum, quod ejus officium, dignitatem, imo totam vitam quasi per compendium significat et representat. Vide quæ de hoc nomine dixi, Num. XIII, 47, et S. Bernardus, serm. 45 in Cant.

22. HOC AUTEM TOTUM FACTUM EST, UT ADIMPERETUR QUOD DICTUM EST A DOMINO PER PROPHETAM DICENTEM: ECCE VIRGO IN UTERO HABEBIT, ET PARIET FILIUM, ET VOCABUNT NOMEN EJUS EMMANUEL, QUOD EST INTERPRETATUR NOBISCUM DEUS.—Syrus: «Et vocabunt nomen ejus Amanuël, quod exponitur nobiscum Deus noster.» Persicus: «Immanuël, id est quod in nobis habitet Deus.» Ægyptiacus: «Et imponent nomen ei Emmanuel, ejus interpretatio est, quod Deus apud nos.» S. Matthæus lectori, vel, ut alij, Angelus Josepho refraicet oraculum Isaia, cap. VII, 14, ut significet illud jam impletum esse in hoc B. Virginitate sponse sue conceptu, et plene impleturum in ejus partu; ideoque Josephum nuncupavit filium David, quia idipsum Davidi a Deo promissum fuerat. Porro oraculum hoc exposui cap. VII, Isaia. Vide ibi dicta, ne item hic repetere cogar.

ECCE—vox est excitans attentionem, considerationem et admirationem. q. d.: Ecce, ô Angeli, ô homines universi, videte et admiramini rem novam, admirandam et omnibus seculis inauditam, quod Virgo concipiet et pariet Emma-

Cur Joseph voluit dimittere B. Virginem?

Secundo.

Nomen in Christo sex m. ra desponsata.

nuelem, hoc est Deum hominem factum. Unde Jeremias idem obstupescens, exclamat, cap. xxxi, 22 : « Creavit Dominus novum super terram : femina circumdabit virum. » Primus Persarum rex Cyrus, teste Xenophonte, nil admirabatur, suscitavit «cecebat a nil in terris admirari. » Hoc enim esse matris nati regii, omnia quasi sub se posita despiciere ut parva et minima se. Et Seneca dicebat sapientem nihil mirari, quia terris altior cuncta sub se despiciat. At in divinis omnia sunt admiranda, quia magna, imo maxima, presertim hoc Emmanuelis mysterium, quod est magnum divine pietatis sacramentum, ut ait Apostolus, I Tim. iii, 10. Igitur stupenda et admiranda est pietas magni Dei, qui per viscera misericordiae suae visitavit nos oriens ex alto. «Eccoe ergo Verbum infans, puer sapiens, Deus homo, » ait S. Bernardus. Docent Theologi virique contemplativi hoc mysterium variis modis nos posse considerare et meditari, ut per modum compassionis, gaudii, gratiarum actionis, amoris, imitationis, sed et Minissime per modum stuporis, ut quasi stupentes et attoniti jugiter stemus ad tantam Dei nostri dignationem, qua ad nos terra vermiculos descendere, et vermis nobiscum fieri dignatus est, idque non propter se, sed propter nos, uti homines velut vermes sibi uniret faceretque Deos. Ita stupebat illud B. Virgo, S. Paulus, S. Bernardus, S. Francisus alicque maximi Sancti, qui plane pleneque mundum et omnia quae in mundo sunt, uti exilia, brevia et caduca contempserunt, totumque amorem, cogitationem et stuporem deflexerunt in Verbo incarnato, jugiterque cum Jesu versati sunt, caetera omnia despicientes.

EMMANUEL. — SYTUS interpretatur : « Amman Elohan, id est nobiscum Deus noster, » sed et noster non est in Hebraeo Emmanuel. Ex Syro liquet potuisse S. Mattheum, si Syriace scripsit (uti multi putant, eo quod Judaei, quibus ipse scribebat, tempore Christi Syriace loquerentur), Hebraeorum Emmanuel interpretari Syriace Amman Eloha, id est nobiscum Deus; imo Munsterus et alii qui Evangelium S. Matthaei ex Latino vertunt in Hebraeam, unicum vocem Hebraeam Emmanuel interpretantur per duas; unde sic habent : « Emmanuel, quod interpretatur Immanu Elohim, » id est nobiscum Deus

Alii putant hanc interpretationem factam ab interprete Graeco, et deinde Latino. Galli Emmanuel per aphoresin decurrunt in Noel, quod in Christi nataliis decantant et ingeminant. Jam norzen Emmanuel, id est nobiscum Deus, significat Verbi incarnationem et omnem ejus in carne oeconomiam. Ita S. Chrysostomus, quia per eam proprie et physice nobiscum fuit Deus per carnem et conversationem; ethice vero per reconciliationem et gratiam.

Dices : Quomodo nomen Jesus idem est quod Emmanuel, ut innuit hic S. Mattheus? Respon-

det Tertullianus, lib. Contra Julianos, idem esse non sono, sed sensu. Esse enim nobiscum Deum quod significat Emmanuel, idem est quod esse Jesus, id est Salvatorem; nec enim alius a Deo poterat nobis esse salvator. Nota Hebraismum quod vocari sumitur pro esse, q. d. : Jesus vocabatur, id est erit Emmanuel, quia in ipso et per ipsum nobiscum erit Deus, ut ipse jure vocari possit Emmanuel. Est metonymia, cui plane similis est Jeremiae xxiii, 6; Zachariae viii, 3, et Isaiae ix, 6 : « Et vocabitur nomen ejus, inquit, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. » Haec enim omnia significantur vel explicito, vel implicite nomine Jesu, id est Salvatoris. Vide ibi dicta.

Nota : Christus ab Isaia et Mattheo non vocatur Emmanuel Jehova, vel Emmanuel Adonai, aut Elohim, sed Emmanuel El, cum tamen haec omnia sint nomina Dei; quia Jehova notat Dei essentiam, significatque Deum, quatenus est primum, summum et immensum ens a quo omnia enita sum esse participant. Adonai notat Dei dominium, significatque Deum, quatenus ipse supremus est omnium Dominus. Elohim notat Dei providentiam, significatque Deum, qua gubernator est, iudex et vindex omnium. El vero notat Dei robur et omnipotentiam, significatque Deum, qua fortis est et omnipotens; quia Deus in incarnatione et Christo summi robur et potentiam ostendit, dum per Christum debellavit hostes potentissimos, scilicet Satanas, infernum, mortem et peccatum; imo et peccata et vitia omnia quantumvis enormia et plurima. Hinc et Angelus nuntians hoc mysterium dictus est Gabriel, id est fortitudo Dei.

Hinc et tropologicie nota : Primo, Nobiscum est Deus, non tantum per essentiam, presentiam et potentiam, uti est in omnibus et singulari creaturis, sed etiam per incarnationem vere, proprie et realiter nobiscum est quasi frater, vivens, loquens, coconversans nobiscum in natura humana a se assumpta. Inde secundo nobiscum est in caput cum suis membris; Christus enim quasi caput fidelium in eos sensum et motum spiritualem, aeque ac directionem et regimen mittit. Tertio, Tertio idem jam incarnatus in Eucharistia nobiscum est, quasi cibus sua carne nos pascent et suo sanguine potans. Haec physice. Quarto, ethice Christus est cum Ecclesia quasi sponsus cum sponsa, ei assistens, protegens, sustentans, ornans, fecundans. Unde Psaltes : « Si ambulavero, ait, in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. » Psalm. xlii, 4. Fidelis ergo in quavis difficultate, labore, tribulatione invocet Emmanuelem, id est Deum nobiscum in carne versantem, letusque dicat : « Dominus regit me, et nihil mihi deerit : in loco pascae, ibi me collocavit, etc.; deduxit me supra semitas justitiae. » Ibidem 4. Et Psalm. xxvi, 1 : « Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem ti-

Sapienter
ill miratur
tunc nisi
Verbum
incarnatum.

Emmanuel
quid?

quid
Interprete
Gallo
Sic

mebo? Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo? Si consistent adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me praellum, in hoc ego sperabo. » Et cum Paulo : « Si Deus pro nobis (imo cum nobis), quis contra nos? » Roman. viii. Jam ergo cuivis fideli, praesertim sancto aut martyri dicere licet id quod Angelus dixit Gedeoni, Judic. vi, 22 : « Dominus tecum, virorem fortissime. »

24. EXURGENS (Graece ἀναστὰς), id est exurgens, excitatus) AUTEM JOSEPH A SOMNO, FECIT SICUT PRÆCERAT EI ANGELUS DOMINI, ET ACCEPTIT, id est jam acceptam non dimisit, sed retinuit conjugem suam.—Iloc enim praecerat ei Angelus.

25. ET NON COGNOSCEBAT EAM, DONEC PERPERIT FILIUM SUUM PRIMOGENITUM; ET VOCAVIT NOMEN EJUS JESUM.—Primo, S. Hilarius citatus hic a S. Thoma in Catena, Dionysius Carthusianus et Gageus sic exponunt, q. d. : Sicut Judaei non poterunt inspicere et cognoscere faciem Moisi ob radios lucis, quos quasi cornua illi Deus afflaverat, dum cum eo colloqueretur in Sina, Exod. xxxiv, 29 et seq.; sic nec Joseph poterat intueri et cognoscere B. Virginem, utpote quae Deum habebat in utero, ideoque facie radiatissima; nato autem Christo, fulgor hie et gloria faciei desuit, tumque a Josepho videri et agnosci potuit. Ita ipsi.

Secundo, e contrario S. Epiphanius, haeresi 30, quae est Ebionæorum, sic exponit, q. d. : Joseph mente non cognovit, nec penetravit sanctitatem et dignitatem B. Virginis suae sponsae, donec ipsa peperit Christum. Verum haec vel aliena sunt, vel symbolica et mystica.

Tertio ergo ad litteram genuine cognoscere conjugem in Scriptura significat copulam maritalem, sive actum conjugalem; hunc enim excludit a Christo, ut significet eum non ex Josepho, sed ex Spiritu sancto conceptum.

DONEC.—Hinc inferebant heretici : ergo postquam peperit filium, Joseph illum cognovit. Unde negabant B. Virginem semper mansisse virginem, eamque asserbant virginitatem perdidisse post

partum. Ita Helvidius, Jovinianus, Finonaei caeterique Antidocimariani quos confutat S. Epiphanius, S. Hieronymus, S. Augustinus et alii, qui docent *donec* dumtaxat significare quid ante partum factum sit, non quid post partum; hoc enim ad hunc locum erat impertinens. Haec enim voce *donec* tantum voluit Mattheus asserere rem miram, inauditam et naturaliter incredibilem, scilicet conceptionem Christi sine patre ex sola matre virgine. Simili modo sumitur *donec* vel usque, Psalm. cix, 2 : « Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum; » non quod tunc ulterius non sedebis, sed quod tunc longe gloriosior, quasi victor et triumphator non exabis ad dexteram meam. Et Matth. v, 26 : « Non eedis inde, donec reddas novissimum quadranten, » hoc est nunquam exibis de carcere gehenne. Et II Reg. xxiii : « Michol filiae Saul non est natus filius usque in diem mortis suae, » id est nunquam, donec reddas novissimum quadranten, a Noe emissio ex arca dicitur : « Non revertetur donec siccarentur aquae, » id est nunquam est reversus. Sic dicimus : S. Agnes mansit virgo, donec mortua est, id est semper mansit virgo; nec enim post mortem virginitatem perdere potuit.

Instabro : S. Mattheus ait : « Donec peperit filium suum primogenitum; » ergo alii deinde fuere ab ea geniti ex Josepho, scilicet qui in Evangelio vocantur fratres Domini. Resp. Nego consequentiam. Primogenitus enim in Scriptura dicitur omnis is ante quem nemo est natus, etiamsi sit unigenitus, ut patet Exodi. iv, 22 et cap. xiii, 2; *donec* enim primo negat tantum anteriores fuisse filios, nec requirit aut presupponit posteriores extitisse : sic etiam unum primogenitus vocatur is qui est unigenitus.

Igitur B. Virginem semper mansisse virginem dogma est fidei, ut patet Luc. i, 34; Eszech. xlv, 2, et ex consensu Patrum omnium ac communi Ecclesiae sensu, jugique traditione. Vide S. Hieronymum, lib. Contra Helvidium, initio tom. II.

Donec
quid
notat?

Primo
genitus
quis?

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur : primo Magorum per stellam vocatio et adoratio Christi; secundo vers. 13, Fuga Christi in Aegyptum; tertio vers. 16, infanticius Herodis; quarto vers. 20, Christi ex Aegypto reditus et secessus in Nazareth.

1. Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, 2. dicentes : Ubi est qui natus est Rex Judaeorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. 3. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Hierosolyma cum illo. 4. Et congregans omnes Principes sacerdotum et Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. 5. At illi dice-